



363908

1. Drey Antwort auf 1. Flarrey  
Polyplicerey.
2. Flarrey 1. Matth. Plycerii / Spruch  
von Finck und in rindig Litter  
Evangelien und gar ich  
Galli. Nicolai  
antwort auf den Buchst. d. d. d.  
yordige in Weissen, Magdeburg.  
1549  
flaccij. M. 1549  
universitet zu Wittenberg, 1549
3. Antwort auf ein  
yfarren, 1549.
4. Verlobung des Oeser.  
alt. d. d. Magdeburg  
1559.

362301

364390

362296

360018

366618

2074

# THEMA DE PRAU

VATIONVM AVGVSTANAE

CONFESSIONIS, ET CON


certationum Nic. Galli, pro seruanda veris

tate eius Confessionis, aduersus des

prauationes.

Ela. 54.

Omne vas quod fictum est contra te, non diris  
getur, & omnem linguam resistentem tibi, iudicio  
iudicabis: Hæc est hæreditas seruorum Domini.



RATISPONAE EXCVDEBAT

Henricus Geisler, Anno 1. 5. 60.

THEMA DE PRA

WALDHYM A. V. G. V. T. A. N. A. E.

CONFESSIO, ET CON

stitutio in die G. V. T. A. N. A. E.

in die G. V. T. A. N. A. E.

153

Matth. 153

OMNIS PLANTATIO, QVAM NON  
plantavit pater meus caelestis, eradicabitur.

RESPONSE EXCVDEBAT

153



## PRAEFATIO.

**T**Oties iam repeto, & ex proposito repeto depra-  
uationes hasce & antitheses, si quo modo attentio-  
nem hanc facere in ecclesia possim, Augustanae  
confessioni alienas affingi interpretationes, diuersas &  
contrarias, calido huius temporis primariorum quo-  
rundam eius Professorum consilio, & inclinatione fatali  
post mortem Lutheri. Quem authorem Augustanae  
huius confessionis nomino, non quod fides nostra aut  
professio humana nitatur autoritate, sed quod eam qua  
habemus iam doctrinae & ecclesiae Christi instauratione,  
ex fontib. Prophetarum & Apostolorum, per ipsum  
ad haec diuinitus excitatum siue Prophetam, siue Apосто-  
lum Germaniae Lutherum, communi hominum testimo-  
nio habeamus, & quod ipsi interpreti plus quam alij, ac tibi  
pene in ambiguis fidendum sit propterea,

Iam ita homines partim sunt securi de religione,  
partim fascinati siue donis, siue meritis, siue autoritate  
(quae damus libenter, quanta debemus) ipsorum sum-  
morum Augustanae confessionis nostrae deprauatorum,  
vt alij quidem nihil attendant, quin aures obturent ad  
commonefactiones omnes velut incantantium, vt Psal-  
mus loquitur, nec velint audire: Alij audientes,  
secundum Prophetam & Christum, non audiant tamen,  
videntes non videant, nihil veri habentes nisi quod a  
deprauatorib. proficiscitur, commonefactiones omnes  
in malam tantum partem rapientes, immemores sui &  
dicti Prophetae: Maledictus qui confidit in homine:  
Tertij quibus audientes & videntes, hoc est, intelligentes  
deprauationum, adeo tamen impie sunt vel religiosi, vel  
modesti, vel timidi, vt veritati ne testimonium quis-  
dem ferre pro vocatione velint, nedum auxilium:  
Sicque perit iusto Dei iudicio non armis hostium,

Añ non

non inuidiis hæreticorum argumentis, vera a nobis religio & ecclesia, sed nostrorum inter nosmetipsos perfidia, infidelitate, incuria.

At nos qui gratia Dei, deprauatorum perfidiam intelligimus, Deo plus quàm hominibus, nos debere satagimus, nostram etiam ipsorum salutem, quantum ex hominibus est, dudum iam negligimus, pro veritate & ecclesia, non desinemus adhuc, eadem Dei gratia, quantum & quod diu dederit, subinde repetere easdem commonefactiones nostras, & inculcare usque ad fastidium, ad tres potissimum hominum ordines, necessario in hac actione nobis propositos: Primum quidem ad ipsos deprauatores Augustanæ Confessionis, si redire nobiscum ad primam & germanam eius sententiam, & suam ipsorum consensionem primam, secundum Lutheri interpretationem velint, aut possint, quod nos quaerimus vnice, et obnixè rogamus.

Secundo repetemus & inculcabitur has nostras commonefactiones, ad vniuersam nostrorum ecclesiam, qui Augustanæ Confessionis nomine censerì volunt, ne stulti aut animis ociosi, sinant sibi istorum præstigij, alienam substituere sententiã, priori contrariam, & inane tandem nomẽ relinquere Augustanæ Confessionis, vt Papistæ substituerunt alienam & contrariam sententiam Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ, de qua gloriantur, & inanetantum nomen adhuc sonant.

Tertio repetemus & inculcabitur nostras has commonefactiones ad Papistas quoque, ne ipsum bonum nostrum, in qui hostes sunt, blasphemant tamen, aut possint blasphemare, ob aliquorum incõstantiam, leuitatem & apostasiam: Infirmi ne auersentur propterea, sed sciant vtrique etiam Augustanam Confessionem, quæ vera est, ab adulterina discernere, hoc est, corruptelas & falsas interpretari.

interpretationes separare, a vera authoris Lutheri interpretatione

Atq; hæc mihi fuit hætenus summa omnium scripturã, tum actionum cum paucis quibusdam alijs, in hoc argumento concertationum publicarum, propter quas & male audimus apud multos, & odia sustinemus non hostium tantum, sed & fratrum, uti esse debebãt, quod veritatẽ Augustanæ Confessionis secundum authoris Lutheri interpretationem, cupimus seruatam ab istis quoruncunq; corruptelis & falsis interpretationib;. Vnde & iudicium fieri de nobis cupimus, & suæ quemq; salutis rationem habere, ut recta ingrediatur secundum veritatem Augustanæ Confessionis.

Erit etiam in posterum hæc nobis summa harum scripturã & actionũ, quod & monstrabimus corruptelas falsasq; interpretationes Augustanæ Confessionis, & eas euincemus porro, reddituri etiam de his rationem in omni legitimo iudicio ecclesiæ, & si ita fuerit opus, sanguine nostro, per gratiam Christi, hoc obsignabimus, nõ recto pede incedi amplius secundum veritatem Euangelij & Augustanæ Confessionis;

Nec potest in his cuiq; parci reo deprauationũ, aut quidq; anteferrí veritati doctrinæ, in qua est sita gloria Dei, & salus Ecclesiæ. Nihil potest etiam ad deprehendas falsationes fieri melius, q̃ ut articuli constuantur & momenta disputationum, diuersæ sententiæ iuxta se ponantur.

Repeto nunc igitur ego, & repetam breues has sententiarum oppositiones, & quod prius dixi, vsq; ad fastidium inculcabo, ut sciat tandem ecclesia, reijci in his summis articulis Lutheri interpretationem, eamq; reijciendo ipsam reijci Augustanã Confessionem, vel nouam gigni.

A iij

I. Articulus

I. ARTICVLVS DE LIBERO  
Arbitrio.

Augustana Confessio secundum authoris  
Lutheri interpretationem.

**V**e meritum salutis, ita applicatio, quæ fit per fidem,  
soli gratiæ Dei est in Christo Iesu, per verbum, Sa-  
cramenta et Spiritum S., non facultatis, non arbitrij hu-  
mani.

DEPRAVATIO ET AN-  
tithesis.

**P**HILIPPVS: Meritū quidem soli gratiæ in Christo  
est: Sed applicatio per fidem, & gratiæ, & facultatis,  
& arbitrij simul humani est.

II. ARTICVLVS DE IVSTIFICATIONE.

**I**ustitia, qua ex peccatore fit iustus, & est iam coram  
Deo, est gratuita peccatorum remissio, & imputatio to-  
tius obedientiæ Christi, Dei & hominis, imputatæ  
per fidem: Vel est Christus secundum vtramq; naturam,  
diuinam & humanam.

DEPRAVATIO ET ANTITHESIS.

**O**SIANDER. Obedientia Christi est quidem meritū  
remissionis peccatorum & iustitiæ: Ipsa vero iusti-  
tia est tota Christi diuinitas inhabitans per fidem:  
Vel est Christus tantum secundum diuinam naturam,

**S**TANCARVS. Christus est iustitia nostra tantū  
secundum humanam naturam, humanæ eius naturæ o-  
bedientia nobis imputata.

**I**NTERIM. Christus est iustitia nostra ses-  
cundum vtramq; naturam, diuinam & humanam, ita vt  
obedientia



obedientia nostra, quæ per ipsum est, cum ipsius obedientia sit coniuncta, & id quod deest nostræ obedientiæ, reputetur pro perfecta, propter ipsius obedientiam, peccatum non imputetur.

### III. ARTICVLVS DE BONIS OPERIBVS.

Augustana confessio secundum authoris  
Lutheri interpretationem;

**B**ONA opera sunt fructus fidei, iustitiæ & salutis in Christo, necessaria ad testandam fidem, iustitiam & salutem; Et ipsa sunt necessaria obedientia erga Deum. Non sunt autem necessaria ad fidem, iustitiam & salutem, nec pars, nec causa sunt fidei, iustitiæ & salutis: Aut fidem, iustitiam, & salutem ipsa retinent, fouent, seruant. Vt boni fructus bonæ arboris necessarij sunt, ad testandam naturam bonæ arboris, ipsi ad arborem necessarij non sunt, nec pars, nec causa arboris sunt, non arborem ipsi fouent, aut seruant, sed arbor vt profert, ita retinet, fouet, seruat ipsa fructus.

### DEPRAVATIO ET ANTITHESIS.

**INTERIM.** Bona opera ad salutem necessaria sunt, & causa, & meritum salutis sunt, non per se quidem, sed per Christum.

**MAIOR.** Etsi nec causa, nec meritum salutis sunt bona opera, eius tamen pars quædam sunt, fidem etiam, iustitiam & salutem retinent, atq; ita ad salutem necessaria sunt; Adeo vt non sit possibile saluari quenq; sine bonis operibus, nec vnq; quisq; saluatus sit sine bonis operibus.

### III. ARTICTLVS DE LEGE ET EVANGELIO ad salutarem pœnitentiam.

Augustana Confessio secundum authoris Lutheri  
interpretationem,

Ut duo sunt diuersa doctrinae genera, lex & euangelium, & duae partes salutaris poenitentiae, contritio & fides, duo etiam motus in corde, terror & consolatio: Ita utraq; doctrina necessaria est ad salutarem poenitentiam, & suam quaelibet partem eius efficit, & motum in corde, nec altera alterius officio potest fungi, aut recte ei alterius officium tribui.

Sic necessaria lex est ad efficiendam contritionem, & ad terrendum, nec vere consolari conscientias potest, aut recte hoc ei tribui: Euangelium necessarium est ad efficiendam fidem, & ad consolandum, nec terret vnq;, aut recte hoc ei tribui potest.

## DEPRAVATIO ET ANTI- THESIS.

**A**gricola Antinomus. Lex quidem necessaria est in foro, ad terrendos ibi malos, non autem in ecclesia, sed procul hinc ad coruos ableganda. Eius loco docendum est Euangelium, quod simul dum terret per violationem filij, ex eiusdem sacrificio & consolationem adfert: Sicq; solum utramq; partem salutaris poenitentiae efficit, & ad eam docendum est solum.

Professores & Scholastici VVittebergenses. Etsi lex docenda est, ad arguenda peccata & efficiendam contritionem, tamen non salutariter arguit, nec arguit quidem omnia peccata, vt incredulitatem & alia peccata in filium. Euangelium & ipsa haec peccata arguit, & salutariter arguit.

## V. ARTICVLVS DE COENA Domini.

Augustana

**AUGUSTANA CONFESSIO SE-**  
cundum authoris Lutheri interpreta-  
tionem.

**P**ANIS in coena ita est corpus Christi, ut cum pane,  
in pane, sub pane, exhibeatur vere substantia cor-  
poris Christi & virtus, ad saluandum quidem crea-  
dentes, iudicandum vero seu perdendum non creden-  
tes.

**DEPRAVATIO ET**  
Antithesis.

**C**ALVINVS. Panis in coena ita est corpus Chri-  
sti, quod cum pane ibi exhibetur virtus corporis  
Christi, vacuo substantia corporis Christi.

**VI. ARTICVLVS DE**  
ADIAPHORIS.

Augustana confessio secundum authoris Lu-  
theri interpretationem.

**A**DIAPHORA, quæ expressum Dei verbum &  
mandatum non habent, in doctrina & in ceremo-  
nijs, eoque libera sunt, naturam hanc suam exuunt  
ad hostes, & fiunt necessaria: Ut cum hostes mani-  
feste spectant ad oppressionem doctrinae, & impias suas  
opinionem attexunt, tunc fides & confessio sita est etiam  
in adiaphoris.

**DEPRAVATIO ET**  
Antithesis.

**B. Professores**

PROFESSORES VVITEBERGENSES, LIPSI  
CI INTERIM PATROCINATORES: Non  
licet solum, sed necesse est etiam adiaphorizare ad hos  
tes, in doctrina & in ceremonijs, pacis & concordiae cau  
sa, hoc est, vitandae crucis Christi causa.

#### EPILOGVS.

**H**l sunt articuli publice a nobis vsque dum contro  
uerfi aduersus deprauatores. Suntq; eiusmodi, vt  
qui separatim corrumpunt alios articulos, coniun  
ctim labefactant totum corpus doctrinae Augustanae  
Confessionis, & in aliud transformant. Ne quis igitur  
dixerit nobis de linea veste, de ritibus adiaphoris. Tam  
etsi inde orta quidem deprauatio est, pulchre iam suis  
numeris & ponderibus aucta, & vt res, tempus ac pers  
sonae ferunt, augenda deinceps magis, diabolo inuiden  
te & insidiante diuino huic veritatis per Lutherum des  
posito.

Nec logomachias etiam quis dixerit, aut cauillas  
De rebus pugnamus ( non etiam de personis) & ita de  
rebus, vt ipsae inter se sententiarum oppositiones ac con  
tradictiones dictis & scriptis varie sint expressae ac pro  
ditae: Et vt ipsum de his nostrum hoc certamen suo iam lo  
co positum sit, rerum testimonijs publice declaratum, ac  
toti piorum ecclesiae commendatum, diciq; postulet  
CERTAMEN de seruanda veritate August. Confessio  
nis, aduersus deprauationes & falsas eius interpretatio  
nes: Quicquid contra iudicauerint, dixerint, egerint tan  
dem homines prophani, male religiosi, sapientes huius  
mundi, scioli, prosopoliptae, amantes hominum plus  
quam Dei, gloriam ab inuicem accipientes, & eam quae  
solo Deo est, gloriam non quarentes.

Nec miretur quis facinus hoc tanq; insolens, tali loco,  
calibus

salib. personis deprauationes esse ortas, vt inde iā sint,  
tenebræ rursus, vnde lux orta fuit. An nō primus error  
primus lapsus ex cœlo, & ex paradiso est? An non a  
sanctis angelis & a sanctis hominibus? An nō ex Ieroso-  
lyma, vnde exierūt sancti Prophetæ, exierunt & Pseudo-  
prophetæ? Et EX VOBIS, ex vobis, inquit Apostolus,  
exurgent viri, loquētes peruersa, vt abducant discipulos  
post se Quid Aaron? An nō fuit magnus Dei propheta,  
& os Moyfi, qui erat quidem ei in Deū, idq; a Deo? Idē  
tamen ipse Aaron, destitutus Moyse Deo hoc suo, subitō  
labitur, & fit author horrendi lapsus horrendæ idolo-  
latriæ. Quid mirum ergo, si idem hoc nostræ huius  
temporis Ierosolymæ Vuittebergæ, & nostro Aaroni  
Philippo acciderit?

Ac satis habent gloriæ Vuitteberga & Philippus,  
quando Vuittebergam Ierosolymæ, Philippum Aaroni  
contulerimus. Sed mitto Vuittebergam, de Philippo  
solum dico, quod quamdiu suum Moysem Lutherum  
ducem habuit, multa præclare & salutariter in ecclesia fe-  
cit. Eo mortuo versus est subito in aliud, & vt Aaron  
suis Vituli, ita hic Adiaphorismi nobis author extitit,  
non minoris idololatriæ coram Deo, quam quæ Aaroni  
fuit, trahentis adhuc longam relam errorum & ido-  
latriarum, addo & vltionum diuinarum, iuxta illud:  
In die vltionis, visitabo & hoc peccatum ipsorum.

Iam vt Aaronis factus est similis labendo quoque  
Philippus, ita toto ei ac intimo pectore optainus, simi-  
lem Aaronis fieri resurgendo a lapsu, populumq; quem  
induxit, reuocando itidem ab eodē lapsu. Sed eā ad rem  
suo iterū Moyse Luthero forte opus haberet. Alioqui  
scriptū est de lapsu Aarone, quod Dominus eū voluerit  
extinguere. Et Balaā Propheta Dei fuit, sed lapsus postea  
nūq; fuit reuersus. Absit hoc a nostro Aaronē charissimo et

B 2 obler

obseruandissimo extra vnum hoc peccatum, quo nimis  
fit Aaroni hactenus dissimilis, lapsus in peccato ipse  
manet, & inductos retinet, quæq; alia ex alijs textit, factus  
etiam sui dissimilis.

Timeamus hinc vero singuli Deum, lapsis ex alio  
tantis viris, ne nos illis multo inferiores labamur &  
ipsi, aut lapsi saltem ne perseueremus in lapsu. Dictum  
est enim palam omnibus. Qui stat, videat ne cadat. Et  
vt toti populo minatur exitium Dominus lapso per Aa-  
ronem, ita lapsis non agentibus poenitentiam omnibus  
dicit Christus: Nisi poenitentiam egeritis, omnes peris-  
bitis.

Quos etiam amplius officij in hoc ratio vocat,  
vt cum Moyse deprecentur pro scelere populi, & ad poe-  
nitentiam hortentur, illi multo iam quidem maximas  
eius sedulo taciendi causas habent, vbi tota simul do-  
ctrina periclitatur, ex lapsibus iura fiunt, ex humanis  
opinionibus diuina oracula, ipsa denique, quod supra  
est propositum, Augustana confessio in aliud vertitur,  
quam quod est, & fuit.

Hic iam est tempus testari veritatem, clamare ple-  
no ore, exaltare vt tubam vocem suam, & esse vere Clamantes.  
Sic enim de Baptista dictum, Propheeta omnis  
bus commune facit pijs & fidelibus ministris in ecclesia,  
adeo vt quod maledictum aduersarij vehemens existis-  
mant, nos hinc laudi nobis ducamus coram Deo & Ec-  
clesia: Dicit Clamantes. Qui hoc dicit, alioqui testes  
Christi & veritatis, nobiscum nolunt, viderint ne alte-  
rum a Propheeta audiant. Muti canes, aut male fidi testes:  
Nihil enim hic medium, nisi rerum illud magis delectet,  
esse etiam falsos testes coram Deo & Ecclesia.

Et vt voce quidem non simus nos instructi valde  
ad clamandum, vixq; cantillantes, Christus tamen etiam  
ex Psalmo refert de cantillantibus pueris Hosanna pijs:  
Ex

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, des-  
truxisti inimicum & victorem. Et iterum: Quod si hi  
tacuerint, lapides clamabunt.

Atqui dum paruuli Hosanna cantillant, Christus  
ad mortem accedit: Moritur, dum scissæ rupes & ipsæ  
clamant, & sol obscuratus clamat extinctum quasi æter-  
num Solem: Extinctione hac, qua militem Romanum  
arcere se Pontifices credunt, vere attrahunt. Videas

nunc nunc, si quid nobis adumbrent etiam

ista, & vt multa inter nos fiunt,

ne quid simile attra-

hant etiam

am.

**F I N I S**

LUTHERVS IN GENESIN CAP. VI.  
SVPER LOCVM.

Dixit Dominus, non iudicabit Spiritus meus in  
homine perpetuo, quia Caro est.

**S**VMMMA hæc pœna est, quam hoc loco Dominus  
per os sanctorum Patriarcharum minatur, quod non  
sit iudicaturus amplius per Spiritum suum homines,  
hoc est, quod cum frustra sit omnis doctrina, nolit post  
hac Verbum suum hominibus dare,

**HANC POENAM ETIAM NOSTRA**  
tempora Germaniæ adducunt. Videmus enim quam  
festinet Satan, quam sit inquietus, & omnia tentet, quibus  
verbum Dei potest impedire. Quantum Sectarum ex  
citauit nobis viuentibus, & omni studio in id incumben  
tibus, vt puritas doctrinæ retineatur? Quid futurum est  
nobis mortuis? Profecto tota agmina Sacramentariorū,  
Anabaptistarum, Antinomorum, Seruetianorū, Cam  
panistarum, & aliorum Hæreticorum producet, qui nunc  
victi puritate Verbi, & assiduitate piorum Doctorum,  
latent, in omnes occasiones stabiliendorum suorum do  
gmatum intenti.

**ERGO** qui verbum purum habent, discant id am  
plexi, & pro eo agere Domino gratias, & quærant. Dos  
minum dum potest inueniri.

**ET PAVLO POST.**

**O**NMIS prædicator seu verbi minister, est vir rixas  
rum & iudicij, ac cogitur ex officio reprehendere  
quicquid vitiosum est, non habita ratione vel personæ,  
vel officij in auditoribus. Hoc cum Ieremias sedulo fas  
cit,



est, non solum odium, sed etiam pericula grauissima sustinet. Mouetur igitur ipse quoque ad impatientiam, ut optet se nunquam esse natum.

Ego quoque si non singulariter confirmatus essem a Deo, iam dudum defatigatus & fractus essem ista pertinacia impoenitentis mundi. Ita enim contristant impium Spiritum sanctum in nobis, ut cum Ieremia optemus nonnunquam nihila nobis esse coeptum. Saepe igitur Deum oro, ut generationem nostram sinat nobiscum mori, propterea quod **NOBIS SVBLATIS PERICVLOSISSIMA TEMPORA SEQVENTVR.**

Hanc ob causam Elias quoque ab impio Rege Ahab vocatur conturbator Israel, quia uidelicet arguebat idolatriam, tyrannidem, libidines suorū temporū.

Nos quoque hodie habemur pro conturbatoribus Germaniae. Sed bonum signum est, cum homines nos damnant, & uocant rixarum Autores. Talis enim Spiritus Dei est, qui rixatur cum hominibus, eos arguit & damnat. Homines autem tales sunt, ut uelint doceri sibi placentia, sicut apud Mich. cap. 2. libere dicunt: Non stillabis supernos, Non enim comprehendet nos confusio, inquit Domus Iacob. Hoc posterius est uice rationis. Quia enim uidet se esse domum Iacob & populum Dei, ideo nolunt castigari, nolunt ad se pertinere poenas & miseras.

#### ITEM AD GALATAS CAP. I.


**M**ULTI ex nobis, non solum ingrati sunt Deo pro enarrabili gratia, & obliuiscuntur purgationis (ut 2. Petri 1. dicitur) ueterum suorū delictorū & donatae gratiae. Sed rursus aperientes Diabolo fenestram, incipiunt **FASTIDIRE VERBUM, PLERIQUE DEPRAVANT ETIAM, AC NOVORVM ERRORVM AVTHORES SVNT:** Horum nouissima sunt. peiora prioribus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some faint words like 'ITEM' and 'CAP' are visible.

ITEM AD CALATAS CAP. I

M  
Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. A large initial 'M' is prominent at the start of a line.







AB 154346




ULB Halle 3  
003 937 402



Sb.

102.







# THEMA DE PRA


VATIONVM AVGVSTANAE

CONFSSIONIS, ET CON

certationum Nic. Galli, pro seruanda veris  
rate eius Confessionis, aduersus des  
prauationes.

Ela. 54.

Omne vas quod fictum est contra te, non diris  
getur, & omnem linguam resistentem tibi, iudicio  
iudicabis : Hæc est hæreditas seruorum Domini;



RATISPONAE EXCVDEBAT

Henricus Geisler. Anno 1. 5. 60.